

civitatem Cafalis S. Evasii capiunt; deinde die vigesimo secundo mensis septembris Vulpianum oppidum Pedemontium ab eisdem diripitur, postea die octavo mensis octobris oppidum Montiscalvi, ditionis Montisferrati a memoratis Gallis diripitur pariter, & occupatur. Eodem anno Vulpianum oppidum Pedemontium a Duce Albano Philippi Regis vices gerente summa vi obsidetur; sed cum obsessio in longum protraheretur, nec quidquam tanto Duce dignum gestum esset, re infecta, multis Cæsarianis copiis cum Castaldo Alexandriam dimissis, nulla alia re memorabili gesta Mediolanum se recepit. Eodem anno induciæ inter Carolum V., & Henricum Gallorum Regem indicuntur summa cum Mediolanensis ditionis lætitia, quæ postea in omnibus Italiæ, Galliæ, Belgarumque civitatibus, & oppidis, per præcones publice pronuntiantur. Eodem anno quarto nonas aprilis civitas Senarum una cum libertate se Carolo V. Imperatori subiecit, summa cum utilitate Cosmi Medicei Ducis Hetruriæ, & eo tempore, quo in deditionem devenit, quidam his carminibus luserunt.

Leno dignus erat Senæ, sed Cæsar amator
Hanc ad amatorem dum violentus agit,
Fugit ad Henrici Virgo indignata petentis
Blanditias, Galli & inde fovetur ope.
Hanc cupit, hanc petit, impatiens fit Cæsar amorum.
Mittit & ad Medices protinus inde Ducem.
Nititur in ferro morbum depellere, & igne;
At Medica multo plus valet arte malum.
Additur huic tenuis victus, tenuisque diæta,
Exanguis, pallens, & macilenta fit hæc.
Deformem sensit Cæsar pertæsus amorum;
Hanc donat Cosino, reddidit ille decus.

(1) Avectus MS.

MDLVI. Carolus V. Imperator in regionem Extremaduram se recepit in Cœnobium Divi Hieronimi paucis familiaribus secum adductis ibi; quod reliquum vitæ fuit, omnibus humanis curis ab animo ablegatis, inter contemplationem divinarum rerum in piis, divinisque operibus, & rebus transegit.

MDLVII. Valentiam oppidum in Gallorum potestatem devenit. Ticini milites ad custodiam deputati rei fuerunt, eo quia oppidum minus bene custodierint, quodque turpiter, & fœde oppidum in Gallorum manus devenerit; quamobrem multi extremo supplitio sunt affecti. Eodem anno æstimus, seu census novus Civitatis coeptus fuit de mense aprilis per egregium, & præstantissimum Johannem Petrum Landrianum Regium, & Ducalem Secretarium Excellentissimo Mediolani Senatu delegatum, de ordine Illustrissimi, & Reverendissimi Cardinalis Tridentini, vices regias in Italia gerentis, qui census absolutus fuit de mense februarii anni 1559. Hic Landrianus extitit vir summa fide, modestia, diligentia, & integritate, qui ob ejus eximias virtutes, ac in rebus gerendis dexteritatem in Secretarium Mediolani Senatus receptus fuit.

MDLVIII. Cum Carolus V. Imperator in fines Belgarum, & Celtarum se recepisset, tandem cum prius gravibus, multisque morbis divexatus, ac febribus conflictatus fuisset, naturæ concessit die sancti Mathæi Apostoli, ætatis annorum quinquaginta se-

ptem, & mensium septem; Philippus vero ejus filius regnorum universalis successor magnificentissimo apparatu, lacrymisque profusis (1) in humari iussit, ubi Hispani Reges sepelli solent. Interim funus ductum Trixillii regio apparatu, & splendore, in quo navis aderat multis perlucens luminibus, in qua præstantiores, ac illustriores res Caroli gestæ depictæ visebantur. Eodem anno apparet cometa, moritur Paulus IV. Pontifex maximus Caraffa Neapolitanus.

(1) Perfuit MS.

MDLIX. Pax inter Philippum Hispaniarum Regem, & Henricum Galliæ Regem fit, in qua Henricus Rex Elisabeth sororem in uxorem dat Philippo Regi; (qui Henricus in ludrico armorum certamine adians (1), dum hastis luctaretur, ictu cuspidis unius lanciæ in oculo vulneratur, quo vulnere die vigesimo sexto mensis junii ejusdem anni moritur). Quæ pax summo cum totius Mediolanensis domini gaudio, & lætitia in omnibus Italiæ, Galliæque civitatibus a præconibus die vigesimo octavo mensis maii publicatur. Eodem anno die vigesimo octavo mensis aprilis per Gasparem Molinam Mediolani senatorem, & ad hoc delegatum quædam promulgantur leges de certo modo de admittendo, vel non admittendo eos, qui in Consilium civitatis Alexandria cooptari volunt; quæ postmodum observatæ fuerunt, ac per antianos, cæterosque, qui in eo Consilio præfuerunt, nemine dissentiente probatæ. Eodem anno Jacobus Philippus Pederana Orator ad Carolum V. Imperatorem ab Alexandrinis destinatus, dum a Belgis in mare Anglico, ut inde in Hispanias transfretaret post Philippum Regem, cui Carolus summam rerum delegaverat, febrili arreptus pro patria summa constantia mortem obivit. Vir sane eximius, multæque literaturæ, & Jureconsultus optimus, in cujus locum eodem anno Ludovicus Falamerius Jureconsultus in memorata legatione sufficitur.

(1) Hastas MS.

MDLXII. Die duodecimo mensis januarii Carolus Emanuel Emanuelis Philiberti Sabaudia Ducis filius Ripolis oritur, Eodem anno die nona mensis aprilis D. Johannes de Guevara Hispanus, Præfectus urbis Alexandria renuntiatur jussu (1) Catholicæ majestatis. Vir bello insignis, juris despector, qui per omnes militiæ gradus ad gradum hunc ascenderat; iracundus quidem, sed liberalis, & qui ob immensam iram transferri se aliquando sinebat (2), primæ impressionis vir. Cæterum satis magnificus, & honestus. Hic ab hoc anno usque ad annum 1566. die 2. februarii, quo anno sublatus est, semper in Præfecturam perseveravit; humaturque marmoreo sepulchro in cornu epistolæ Cathedralis Ecclesiæ.

(1) Suæ. (2) Transferri aliquando agebatur MS.

MDLXVI. Die septimo mensis februarii Pius V., qui ante Michael Ghislerius appellabatur, Ordinis Prædicatorum, Cardinalisque Alexandrinus, Pontifex maximus renuntiatur, passimque publicæ lætitiæ factæ maxima cum omnium alacritate nuntium hunc omnibus optimis ominibus prosequentium. Eodem anno Michael Bonellus ex sorore nepos Pii V., Cardinalis Alexandrinus meritissimus creatur. Eodem